

Catalogus Dissertationum Volumine hoc
comprehensorum.

- 1, De prudentia in disquisitione *adversus* dicti Johanni i Joh. 3. 7.
Auct. Car. Gottlob Hofmanno. Vitt. 1766.
- 2, Pietas Cornelii Centurionis Casarvicensis antequam ad eum mitteretur re-
trus Act. 12. 2. Auct. Joh. Fecht. Rost. 1701. 2
- 3, Observationes Exegetico Criticae et miscellae super 2 Tim III et IV.
Auct. Joh. Salom. Semler. Alton. 1753
- 4, Progr. De Utilitatibus ex Doct. Theologiae redundant. Auct. Christ.
Fimoth. Seidelio Helmst.
- 5, De duratione Potestatum Auct. Christ. Frid. Sarratio. Tub. 1756.
- 6, De Vocazione Ministrorum Ecclesiasticorum divinae Eius. ibid. 1757.
- 7, Progr. Cur pauci sint boni fideles. Auct. Johann.
Christidi Semler Lipsiae a. 1747.
- 8, De recto et genuino usu argumentorum fidem humanam facien-
tium in probanda divina origine s. Litterarum. Joh. Georg.
Knapp. Halle 1757.
- 9, Quare dico tibi remissa sunt peccata eius multa quia etc. Luc. VII. 47.
Auct. Christoph. Matth. Staffio. Tubinga 1745
- 10, De peccato in Spiritu s. Prose Car. Gottlob Hoffmann Auct.
et respond. Joh. Gottl. Verner superint. Jurreb. Vitemb. 1755.
- 11, De Omnipotentia Asti in statu Eick. Auct. Braumgarter. Halle 1756.
- 12, De litteris Eliae ad Joramum Regem Judae in Calis scriptis et Libris
XXI et XII auct. Christoph. Matth. Staffio 1755
- 13, Explicatio loci difficilioris Joh. 1, 33-38. auct. Braumg. 1735. Halle
- 14, De statu animarum separatar. auct. Soc. Halle 1754.
- 15, De Juda sacro Coena conuiva auct. Soc. 1744.
- 16, De redemptione Ecclesiae proprio Christi sanguine facta Act. 20, 28. Auct.
Costa Tub. 1753.
- 17, De reliquiis Gentilismi in opinionibus de nocte auct. Puffio
1756 Lipsia Commentatio prior

- 18, De reliquijs gentilibus in opinionibus de morte auct. Cressio
 commentatio propterea Lipsia 1756.
- 19, De peccati in finem s. irremissibilitate prope D. Feideliū auct.
 Schaberto Helmst. 1748.
- 20, De Apparitione Angeli Christum confortantis Luc. XXII v. 43.
 auct. M. Christoph. Jodof. Heringio Lipsia 1747.
- 21, Epistola ex Lacedaemone in Crucifera ad Ephefos conservata
 Col. II. v. 16. auct. Jac. Hattio Erlango 1751.


DIS

D. C

s.



DISPVTATIO THEOLOGICA ¹⁶
DE
PECCATO IN SPIRITVM S.



QVAM
PRAESIDE
D. CAROLO GOTTLOB
HOFMANNO

S. S. THEOLOGIAE PROF. PVBL. PRIMARIO
CONSISTORII REGIO-ELECTORALIS ASSESSORE
FACVLT. THEOLOG. SENIORE PAST. AD AED.
S. MARIAE CIRC. ELECTOR. SAXON.
GENERAL. SVPERINT.

AD CONSEQVENDVM SVMMVM HONORIS
IN THEOLOGIA GRADVM


D. XX. SEPT. ANNO PACIS RELIG. SAECVLARI MDCCLV

IN AVDITORIO MAIORI
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES GOTTLOB WERNER


ECCLESIAE IVTREBOCENSIS PASTOR PRIMARIVS
EIVSDEMQUE DIOCESEOS SVPERINTENDENS




VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

DE
 PECCATO IN SPIRITUM S
 TR A
 D. CAROLO GOTTLIBO
 JOHANNI
 S. THEOLOGICAE PROF. PUBL. HALLENSIS
 UNIVERSITATIS REGIO. PECTORUM J. S. S. S.
 FACULT. THEOLOG. SENIORE F. H. S. S. S.
 S. MARTIALI. ORD. PECTOR. S. S. S.
 UNIVERSITATIS S. S. S.
 AD CAROLUM GOTTLIBUM
 IN THEOLOGIA CLAVICARIA
 D. THEOLOGICAE PROF. PUBL. HALLENSIS
 UNIVERSITATIS REGIO. PECTORUM J. S. S. S.
 FACULT. THEOLOG. SENIORE F. H. S. S. S.
 S. MARTIALI. ORD. PECTOR. S. S. S.
 UNIVERSITATIS S. S. S.
 JOHANNES GOTTLIBUS
 UNIVERSITATIS REGIO. PECTORUM J. S. S. S.
 FACULT. THEOLOG. SENIORE F. H. S. S. S.
 S. MARTIALI. ORD. PECTOR. S. S. S.
 UNIVERSITATIS S. S. S.





DE
PECCATO IN SPIRITVM S.



§. I.



QVVM Christus inter homines versare- *Iudaei pore-*
tur, eosque ad aeternam salutem viua- *runt, etiam*
erudiret voce, Iudaeis, Christi do- *Christi tem-*
ctrinam nondum amplectentibus, in- *pore, aeter-*
ea, quam profitebantur, religione, non alia patebat *num saluari*
ad aeternam salutem via, nisi per veram in futurum *per fidem in*
Messiam fidem. *Messiam.*

A

Hoc,

Hoc, ut eo rectius intelligatur, necesse est, ut paullo clarius atque distinctius mentem nostram exponamus.

I. Iudaicae religionis essentiam in vera in futurum Messiam fide ponendam esse, putamus. Nam religioni verae duo proposita et quasi obiecta esse debent; primum, ut reducat nos in gratiam apud Deum, quem peccatis nostris offendimus; alterum, ut vires, recte honesteque viuendi, largiatur: utrumque vero apud Iudaeos olim vera in futurum Messiam fides efficiebat. Igitur dubitari non potest, quin recte, in ea, religionis Iudaicae ponatur essentia. Atque hoc, idem est, quod multa nos sacrarum litterarum loca docent. *Hab. II, 4. Act. XV, 11. 2. Tim. III, 15. Rom. III, 20. usque ad finem. Rom. IV, 3. 9. 18-22.*

II. Loquimur de Iudaeis, qui tempore quidem Christi vivebant, sed diuinam, quaungebatur, legationem haud agnouerant. Quis dicat, hos omnes, omnem plane salutis aeternae consequendae, curam abiicisse? Multi, sine dubio, magno, beatioris post fata vitae, desiderio ducebantur, cuius potiundae spem omnem in religione sua collocabant. Sed de his poteritne bene sperari?

III. Hi

III. Hi Iudaei non poterant in ea, quam a teneris professi erant, religione, aeternum saluari, nisi per veram in futurum Messiam fidem. Cum enim haec fides essentiam religionis Iudaicae constituat, efficitur, vt in hac, sine ea, salus aeterna obtingat nemini. Atqui haec felicitas sine dubio multis Iudaeorum, tempore Christi, contigit; namque primo, fieri non poterat, vt omnes statim Iudaei, simul ac Christus inter homines apparuit, ad eius cognitionem peruenirent. Ista enim vera lux mundi, Christus, non statim ab initio, radiis suis, pleno fulgore, vndique dispersis, omnium hominum oculos collustrabat, sed potius sensim paulatimque sibi aditum ad Iudaeorum animos, luce salutari Euangelii beandos, parabat. Quam ob rem Christus non semper aperte dicebat, quod dicendum erat, sed magna cautione utebatur; v. c. *Matth. XI, 2-6. XIX, 16. 17. XX, 42.* nonnullis etiam praecipiebat, vt nemini dicerent et praedicarent miracula, quae ediderat. *Marc. VII, 36. Matth. XVII, 9.*

Verebatur enim Christus, ne Iudaeis, multis erroribus excaecatis, idem eueniret, si eis, nec opinato, plena euangelii lux apparuisset, quod accidere nobis

solet, quando e crassissimis tenebris subito in lucem protrahimur, vt in praecipitia ruamus, nec saxa, nec scopulos animaduertentes. Hi igitur Iudaei, nondum ad plenam euangelii lucem admissi, eadem, qua patres fui, ratione aeternum saluabantur, h. e. per veram in futurum Messiam fidem. Deinde, hoc etiam adiiciendum est, multos ex Iudaeis, tum ante, tum post mortem Christi, ob pietatem laudari in sacris litteris, licet IESVM vt Christum vera fide nondum amplexi fuerint; quod indicio esse potest, homines, tempore Christi, adhuc Deo placuisse ob fidem in futurum Messiam, adeoque per eandem etiam salutem aeternam consequi potuisse. Quis enim putet, *Ἰουδαῖοι ἐπιλαβείς* istos, qui laudantur *Act. II, 5.* et aethiopem istum eunuchum, Candacae, Aethiopum reginae, praefectum, cuius mentio fit *Act. VIII, 27.* nec non Cornelium, ad quem in vera Christi cognitione erudiendum, ipse Petrus apostolus diuinitus excitabatur; *Act. X, 1.* Quis quaeso putet, hos omnes, ante suam ad Christum conuersionem, sine spe salutis aeternae consequendae vixisse?

§. II.

IVDAEIS igitur, tempore Christi, peccatorum suorum remissionem, iuxta religionis suae praecepta, quaerentibus, quaecunque peccata, quae fidem in futurum Messiam haud impossibilem plane reddebant, poterant remitti, et remittebantur etiam.

Iudaeis igitur omnia peccata remitti poterant, quae fidem in futurum Messiam haud impossibilem reddebant.

Peccatum, fidem in futurum Messiam impossibilem reddens, est eiusmodi peccatum, quod efficit, ut in peccatore, vera in futurum Messiam fides, nulla ratione possit amplius restaurari. E contrario peccatum, fidem in futurum Messiam non impossibilem reddens, est id, quo commisso, fieri potest, ut peccator iterum, vera fide ad futuri Messiae meritum confugiat. Cum igitur Iudaei, tempore Christi, aeternum saluari possent, fide in futurum Messiam, §. I. consequitur, ut omnia quoque peccata, quae fidem istam haud impossibilem reddebant, ponerint eis in hac, quam profitebantur, religione remitti. Haec enim duo ex se connexa sunt, aeternum saluari, et, remissionem peccatorum consequi.

§. III.

*Iudaeis, quae
ralibus, ea
peccata non
poterant re-
mitti, quae
fidem in fu-
turum Mes-
siam impossi-
bilem reddo-
bant.*

SED remissio eorum peccatorum, quae fidem in futurum Messiam prorsus impossibilem efficiebant, nulla ratione a Iudaeis, qua Iudaei erant, poterat impetrari, quamvis eam anxie, iuxta religionis auitae suae praecepta quaererent.

Quicumque Iudaeorum, absque fide in futurum Messiam, remissionem peccatorum suorum voluisset a Deo impetrare, is sane nunquam eam esset consecutus, §. I. atqui Iudaei, qui Deum rogabant remissionem eorum peccatorum, quae fidem in futurum Messiam impossibilem reddiderant, reuera illi erant, qui, absque fide in futurum Messiam, remissionem peccatorum suorum volebant consequi. Igitur hanc nunquam impetrabant, nec impetrare poterant.

§. IV.

*Igitur quae-
dam peccata
Iudaeis, quae
ralibus, re-
mitti pote-
rant, quae-
dam vero
non.*

PONAMVS igitur, Iudaeos olim, tempore Christi, duplicis generis peccata commisisse, quorum alia fidem, in futurum Messiam, impossibilem prorsus effecissent, alia vero non: atque cunctos, nihilo minus, omnem salutis aeternae spem, in religione Iudaica, collo-

collocasse: nonne potuissemus, si vixissemus eo tempore, Iudaeis dicere: Iudaei, ista peccata vobis remittentur, haec vero peccata nunquam remittentur?

Haec autem verba hunc, sine dubio, sensum habuissent: Pütatis, Iudaei, vos in religione vestra Iudaica remissionem peccatorum omnium consecuturos esse; ego vero dico vobis, ista quidem peccata, quae fidem in futurum Messiam haud impossibilem efficiunt, vobis remissum iri, si, iuxta religionis vestrae praecepta, poenitentiam egeritis, at haec peccata, quae fidem istam plane destruunt et impossibilem reddunt, nunquam vobis condonari, quamuis eorum remissionem, iuxta religionis vestrae instituta, eodem studio, quo cacteri consequentes eam, quaesiveritis. Quando enim ad homines, in certo statu versantes, verba facimus, multa breuitatis concinnitatisque causa solemus in sermone praeterire, quae facili negotio per se possunt intelligi. Nunc pergemus.

§. V.

INTER omnes constat, multos quidem Iudaeorum, vel Christum vidisse, vel de eo quaedam audisse,

*Quidam in
Christum pec-
cabant, for-*

VIII DE PECCATO

*nam serui-
lem eius con-
temneret.*

uisse, sed eum tamen parui fecisse, spreuisse, non-
nunquam etiam conuiciis temere profcidiſſe, propterea,
quod non solum diuinam eius originem et auctorita-
tem prorsus ignorabant, sed etiam seruili eius forma
offendebantur. Atque hi, sine controuersia, grauitur in
Christum peccabant. Euenit enim Christo, quod Ie-
saias et Dauides praedixerant fore, *Ies. LIII, 3. Psalm.*
XXII, 7. qua de re ne dubitemus, haec, quae addu-
cam, loca legamus. *Matth. XIII, 54. XXVII, 39.*
Marc. VI, 1. Io. I, 47. VIII, 48. etc.

§. VI.

*Quod pec-
carum dici
potest pecca-
rum in filium
hominis.*

Hoc peccatum, quod Iudaei, vel Christum vi-
dentes, vel quaedam de eo, ex vago incertoque rumore,
audientes, sed diuinam eius originem et auctoritatem
prorsus ignorantes, committebant, quando famam,
et rumorem, de Christi miraculis et doctrina, tan-
quam inanem et falsum, negligebant, ipsum Christum
contemnebant, nec tanquam Messiam, humano generi
diuinitus datum, venerabantur, sed conuiciis potius
temere profcindebant, propterea quod seruili eius for-
ma offendebantur: hoc Iudaeorum peccatum, inquam,
recte

recte omnino *peccatum in filium hominis* vocari potuisset.

Peccamus enim in aliquem, quando ei, quod ipsi debemus, negamus. Christum vero triplici ratione considerare possumus, primo, ut Deum; deinde, ut Messiam, qui et Deus et homo est; tertio, ut hominem, sed plane singularem. Christo igitur, qua Deus est, debemus obsequium et cultum religiosum; qua Messias, debemus praeter illa etiam hoc, ut credamus in eum, et spem salutis in eo, ut mediatore, ponamus; qua homo singularis, debebantur ei cuncta officia, quae cuique debentur homini, maxime singulari.

Isti Iudaei minime dici possunt, scientes volentesque Christo cultum religiosum atque fidem negasse; nam eum, ut Deum et Messiam nondum agnouerant: recte autem dicuntur ea scientes volentesque Christo negasse, quae ipsi, ut homini plane singulari, debebantur, officia. Namque neminem licet contemnere, multo minus eum, qui dicat, se, a Deo, ad nos ablegatum esse, ut nobis viam ad aeternam salutem monstret. Ergo Iudaei, Christum contemnentes, quia diuinam eius originem et auctoritatem ignorabant, in eum peccabant, quatenus homo

erat, forma serui indutus. Iam vero Christus sese vocat ipse filium hominis, quatenus homo erat, forma serui indutus, cuius veram diuinamque originem ignorarent homines: igitur peccatum istud recte vocatur peccatum in filium hominis.

§. VII.

*Peccatum in
filium homi-
nis fidem in
futurum
Messiam
haud reddit
impossibilem.* PECCATVM in filium hominis non ita comparatum erat, vt fidem in futurum Messiam impossibilem plane redderet.

Fides enim haec inest in certa fiducia, quam quis in merito futuri Messiae, humano generi diuinitus promissi, ponit. Haec autem fiducia nititur, partim nonnullarum veritarum cognitione, partim assensu certo, quem eis praebeamus. Cum igitur peccatum in filium hominis per se neque cognitionem istarum veritarum, neque assensum, eis praebendum, impediat et impossibilem reddat: sequitur, peccatum in filium hominis non ita comparatum esse, vt fidem in futurum Messiam impossibilem plane reddat.

§. VIII.

§. VIII.

IVDAEIS igitur hoc peccatum in filium hominis Iudaeis,
 remitti poterat, quamvis in religione sua permaneret, qua talibus
 et remittebatur etiam, quando, secundum huius religio- peccatum in
 nis praecepta et instituta, poenitentiam serio agebant. filium ho-
minis remitti
poterat.

Nam hoc peccatum in filium hominis non impos-
 sibilem reddebat fidem in futurum Messiam: §. VII.
 fed tale peccatum Iudaeis, remissionem peccatorum
 fuorum rite quaerentibus, remittebatur: §. II. Ergo
 non est dubium, quin et peccatum in filium hominis,
 Iudaeis, peccatorum fuorum remissionem, religioni
 suae contuenienter, quaerentibus, remissum condona-
 tumque fuerit.

§. IX.

INTER Iudaeos etiam multos deprehendimus, Quidam Iu-
 qui, quanquam diuinam Christi originem et ad homi- daci grauius
 nes legationem, ex editis eius miraculis doctrinaeque in Christum
 vi et veritate agnouerant, Christum tamen, peccabant,
 verum repudiantes
 auctorem, vnicamque salutis humanae causam et viam, eam, cuius
 relicerent, atque, repugnante animo, in auita reli- diuinam au-
 gionem toritatem
agnouerant.

gione acquiescerent, sperantes fore, ut nihilo minus eodem modo, quo patres sui, reliquique Iudaei, Christum ignorantes, peccatorum suorum veniam salutemque aeternam consecuturi sint: Atque hi, sine dubio, omnium grauissime in Christum peccabant.

Vt aliquis huius, de quo loquimur, peccati reus euaderet, tria requirebantur; I. Vt ex doctrinae vi et veritate, quam proposuerat Christus, et miraculis, quae, omnibus stupentibus, ediderat, certo cognouerit, diuinitus eum ad homines missum esse, II. vt Christum contemferit, nec eum tanquam auctorem, causam viamque salutis sequi amplectique voluerit, III. vt nihilo tamen minus omnem salutis remissionisque peccatorum spem in religione Iudaica posuerit, et ad eam solam, tanquam ad portum solatii, confugerit. Quis dubitet, nisi qui sacrarum litterarum prorsus expers fuerit, quin multi Iudaeorum, qui Christum docentem homines audiuerunt, et edentem miracula viderunt, hac in culpa haeserint? Hoc enim erat velut insigne perniciosissimorum hostium Christi, vt 1. sub religionis, quam amplectebantur, specie, 2. Christo capitis causam dicerent, eiusque vitae insidias struerent,

h. e.

h. e. eum reiicerent, cuius tamen 3. diuinam legationem, ex doctrinae miraculorumque vi, cognouerant.

§. X.

Hoc autem peccatum, quo Iudaeus salutis suae
 haud omnino negligens, Christum, cuius diuinam
 auctoritatem ex ea, qua valebat, miraculorum atque do-
 ctrinae vi cognouerat, plane repudiabat, atque nihilo
 tamen minus certam salutis et reconciliationis cum
 Deo consequendae spem et fiduciam in religione Iu-
 daica ponebat; hoc peccatum, inquam, recte omnino
 et commode *peccatum in Spiritum S.* vocari poterit.

*Hoc peccatum
 possumus
 appellare pec-
 carum in Spi-
 ritum S.*

Nam, quando Christus aliquid facit, quod hanc
 vim habere debet, vt ad meritum suum, vera fide am-
 plectendum, adducat homines, hoc omne facit per
 Spiritum sanctum, qui est tertia diuinitatis persona.
 Nam, quemadmodum ea opera, quae ad parandam
 hominum cum Deo reconciliationem efficiuntur, se-
 cundae diuinitatis personae tribuuntur: ita haec opera,
 quae hunc in finem suscipiuntur a Deo, vt homines ad
 Christi cognitionem perueniant, eiusque merito fruantur,
 a Spiritu S. dicuntur proficisci. Iam vero do-

etrina et miracula Christi non ad primum, sed ad secundum genus referri debent. Qui igitur Spiritus S. beneficio acceptum debent, quod veram salutis viam cognoscant, sed eam deserunt, et alia plane via, repugnante animo, ad salutem contendunt, illi peccant in Spiritum sanctum: atqui faciebant istud Iudaei: igitur hoc, de quo loquimur, Iudaeorum peccatum, haud incommode peccatum in Spiritum S. appellatur.

§. XI.

Hoc peccatum in Spiritum S. fidem in futurum Messiam prorsus impossibilem reddit.

HAEC vero est natura huius peccati in Spiritum sanctum, ut fidem in futurum Messiam prorsus impossibilem efficiat; ita, ut in nemine, huius peccati reo, fides ista possit unquam restaurari.

Nam ad fidem in futurum Messiam tria requiruntur: primo, ut sciamus, Deum eiusmodi mediatorem humano generi promississe, qui nos in gratiam cum Deo reducat: deinde, ut certo credamus, cum venturum esse: denique, ut desiderio, meriti eius potiundi fruendique, gaudeamus, et in hoc acquiescamus. Quodcunque vero ita comparatum est, ut efficiat, ut horum nihil in hominem cadat, nec unquam cadere possit, illud

illud certe fidem in futurum Messiam impossibilem reddidit: atqui peccatum in Spiritum sanctum ita comparatum est: nam qui eius reus est, quomodo potest scire, Deum, Messiam adhuc venturum, promississe? quomodo potest certo credere, eiusmodi Messiam futuro tempore, sine dubio, venturum esse? quomodo denique desiderio, eius meriti potiundi et fruendi, gaudere et in eo acquiescere potest, cum certo sciat, Messiam, a Deo promissum hominibus, iam adesse, nec amplius posse alium expectari? Ex quo fit, ut hoc in Spiritum S. peccatum fidem in futurum Messiam plane impossibilem reddat.

§. XII.

Ex qua re efficitur etiam, hoc peccatum in Spiritum S. Iudaeis, eius reis, quantumvis iuxta religionis Iudaicae instituta poenitentiam agere voluerint, et remissionem peccatorum quaesiverint, nunquam remissum esse, nec remitti potuisse.

Peccatum in Spiritum S. Iudaeis, qualibus, non poterat remitti.

Nullum enim Iudaeis peccatum, sine fide in futurum Messiam, poterat remitti condonarique: §. I. sed huius peccati reus in perpetuum hac fide carebat: §. XI. Igitur huius peccati remissio et condonatio nunquam in religione Iudaica sperari potuit.

§. XIII.

§. XIII.

Iudaeis igitur, qua talibus, peccatum in filium hominis remitti poterat, peccatum vero in Sp. S. minime.

Ex his, quae in superioribus diximus, §. IV. VII. VIII. XI. XII. satis intelligi poterit, Christum, ad Iudaeos verba facientem, dicere potuisse: O Iudaei, omnia peccata, etiam peccatum in filium hominis, vobis remittentur, sed peccatum in Spiritum S. nunquam remittetur, nec vobis remitti potest!

Quis autem, cum ex re ipsa, tum ex superioribus non statim intelliget, eiusmodi verba non simpliciter et absolute intelligi posse, sed aliquam potius conditionem adici oportere, vi cuius vnum afferi, alterum negari debeat. Eiusmodi vero conditiones, vel e re ipsa sumuntur, vel e statu hominum, ad quos sermo factus est. Conditio e re sumta, est in eo, quem interpretamur, loco, poenitentia: vt sensus verborum istorum hic esset: Si poenitentiam egeritis, peccati in filium hominis remissio fiet, at peccati in Spiritum S. nullam impetrabitis condonationem atque veniam, quamuis poenitentiam agere conemini. Sed hoc nimis durum et falsum etiam est, si in vniuersum intelligatur: nulli enim homini simpliciter omnis salutis et gratiae apud Deum

Deum ineundae spes plane recidenda est: igitur verba ista nondum perfecte pleneque intelliguntur. Quare nouam adiciamus conditionem, eamque ex statu eorum, ad quos sermo fiebat, repetamus. Nempe poenitentia duplex est, Iudaica, et Christiana. Si Christus igitur cum Iudaeis loquitur, a se alienis, qui in religione Iudaica permanere, in eaque peccatorum veniam impetrare volebant, ac eis dicit: quaedam peccata vobis remittentur, quaedam vero minime: patet, eum hoc dicere sub conditione poenitentiae, et quidem, quod in primis obseruatu dignum, poenitentiae Iudaicae, h. e. quae secundum religionis Iudaicae regulas agatur. Vid. §. IV.

§. XIV.

ΑΤΟΥΕ in hunc eundem modum verba olim ad *Quaedam*
Iudaeos ipse Christus fecit, cum eis diceret: *διὰ τῆτο* *facrarum lir-*
λέγω ὑμῖν· Πᾶσα ἀμαρτία καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς *terarum loca,*
ἀνθρώποις: ἢ δὲ τῆ πνεύματος βλασφημία ἐν ἀφεθήσεται τοῖς *quae de pec-*
ἀνθρώποις. Καὶ ὅς ἂν εἴπῃ λόγον· κατὰ τῆ ἰσῆ τῆ ἀνθρώπε, ἀφε- *cato in Spiri-*
θήσεται αὐτῷ· ὅς ὁ ἂν εἴπῃ κατὰ τῆ πνεύματος τῆ ἰσῆ, ἐν ἀφεθή- *tum S. agunt,*
σεται αὐτῷ, ἔτε ἐν τῆτο τῷ αἰῶνι, ἔτε ἐν τῷ μέλλοντι. *explicantur.*
Sc. Matth.
Haec ad *XII, 31. 32.*
Marc. III, 28.
verbum cum Castellione ita latine reddi possunt: Itaque sic *29. 30. Luc.*
XII, 10.

C

habe-

habetote: omne peccatum ac maledictum ignoscetur hominibus, ac maledictum aduersus spiritum non ignoscetur. Et, si quis quid dixerit contra homine natum, ignoscetur ei: at, si quis contra sanctum Spiritum dixerit, non ignoscetur ei, nec in hoc seculo, nec in futuro.
Matth. XII, 31. 32.

In his Christi verbis interpretandis multum sudarunt viri doctissimi, et diuersas plane discesserunt in sententias. Non conueniunt in notione, quam peccato in filium hominis subiiciant, nec in ea, quam peccato in Spiritum Sanctum iungant. Nos, praetermissa aliarum sententiarum diiudicatione, dicemus in praesentia statim id, quod nobis videtur. Cum enim supra demonstrauerim, Iudaeos, tempore Christi, peccata quaedam commisisse, quorum alia in filium hominis fuissent, alia in Spiritum sanctum; §. V. VI. IX. X. atque ista quidem remitti potuisse, haec vero minime: §. VIII. XII. non video, quid impediatur nos, quo minus difficillimum hunc locum ex iis peccatorum notionibus, quas supra formauimus, interpretemur: inprimis cum constet ex §. XIII, Christum his ipsis verbis ad Iudaeos vti potuisse, et eodem quidem sensu ipsis tributo, quem nos
iamiam

iamiam iis tribuemus. Nos igitur veram plenamque huius loci vim atque sententiam hanc esse putamus: *Quam ob causam animaduertite, Iudaei, et credite, verissimum esse, quod dicam: Omne peccatum, etiam istud omne, quod blasphemiae vim atque nomen habet, remittetur hominibus: (si nimirum velint poenitentiam agere, et quidem secundum eam, quam vos veram putatis esse, religionem, sicut est, h. e. Iudaicam:)* Hocce vero peccatum, quod in praesentia committitis, calumniando spiritum, miracula patrantem, propterea quod vim quidem miraculorum meorum sentitis, diuinamque legationem meam cognoscitis, ut nibilo tamen minus, me repudiantes et blasphemantes, repugnante animo, veterem et auitam religionem retinere cupitis; hocce, inquam, peccatum non remittetur hominibus: (etiamsi poenitentiam velint agere secundum hanc, quam profitemini, religionem Iudaicam:) Immo, qui filium hominis viderit, vel quaedam ex rumore de illo acceperit, sed seruili eius forma offensus, me repudiarit atque contumeliosis verbis affecerit, is, quisquis demum ille est, quoniam, me ignorans, hoc fecit; impetrabit et huius peccati remissionem: (si nimirum, dicto modo, poenitentiam veram agere ve-

lit:) at enim vero, repeto, quod dixi, qui de Spiritu S. maledice et contumeliose dixerit, propterea quod eius quidem miraculorum vim sensit, meaeque legationis auctoritatem diuinam plene cognouit, sed nibilo tamen minus me repudians, reluctante animo, in religione auita permanere cupit, is, quisquis est, huius peccati veniam nullo, neque huius, neque futuri seculi, tempore consequetur: (etiam si poenitentiam velit agere secundum hanc, quam profite mini, religionem Iudaicam.)

Eadem ratione debent etiam explicari reliqua duo loca, in quibus eadem fere verba occurrunt, quaeque de iisdem peccatis agunt. *Marc. III, 28. 29. 30.* et *Luc. XII, 10.*

§. XV.

*Vt propo-
sa interpre-
tatio eo re-
ctius ab omni-
bus intelligen-
tur, opus est,
ut haec in pri-
mis, quae re-
petam, obser-
uentur.*

VT clarius unicuique pateat, quo mens mea ten-
dat, quaedam adiiciam, quae interpretationi meae
haud parum lucis affudent.

I. Christus loquitur de iis peccatis in filium homi-
nis et in Spiritum sanctum, quorum notiones supra for-
mauimus. §. VI. X. II. Peccatum in filium hominis
dicitur remitti hominibus: id quod non simpliciter in-
telligendum: nullum enim peccatum, per se et natura
sua

fua, remittitur homini: adicienda igitur est conditio, quam rei natura postulat; nempe haec: si poenitentiam veram egerint. III. Poenitentiam agere poterant Iudaei tunc viuentes, vel secundum religionis Christianae regulas, vel secundum Iudaicae: non illa, sed haec h.l. intelligitur. IV. Peccatum in Spiritum S. quando dicitur non remitti hominibus, nec remitti posse: nec hoc simpliciter et absolute dictum putemus. Nam vti nullum peccatum, in se et sua natura, est remissibile, sic etiam nullum peccatum, per se et natura sua, est irremissibile. Ergo et hic adicienda est conditio; nimirum haec: quamuis velint poenitentiam agere. V. Sed non omnis poenitentia intelligitur, verum Iudaica solum, vt sensus sit: quamuis secundum religionis Iudaicae praecepta poenitentiam agere velint. Nunc, mente mea satis, vt opinor, declarata, restat, vt interpretationis meae veritatem demonstrém. Hac autem, in demonstrando, via incedam, vt eius, primo, possibilitatem, deinde, probabilitatem, denique necessitatem ostendam.

§. XVI.

*Interpreta-
tionis nostrae
i. possibilitas
ostenditur.*

POSSIBILEM esse nostram interpretationem ex eo demonstrabitur, quod primo, eas notiones verbis subieccimus, quas sibi subiectas habere possunt, et in aliis quoque locis subiectas habent; deinde, singulis pronuntiatis eiusmodi conditiones adiunximus, quae partim rei naturae, partim Iudaeorum statui sunt consentaneae; denique in tota interpretatione nihil reperitur, quod, vel in se repugnantiam contineat, vel cum aliis rebus pugnare videatur. Haec, ne quis temere a nobis dicta esse putet, age singulas explicationis nostrae partes consideremus:

I. Haec Christi verba: Πᾶσα ἀμαρτία, καὶ βλασφημία ἀφεθήσεται τοῖς ἀνθρώποις: sic explicamus: *Omne peccatum, etiam istud omne, quod blasphemiae vim atque nomen habet, remittetur hominibus.* Non opus est, vt dicamus, voculam, καὶ, h. l. non copulae vim habere, sed idem esse, quod, *Immo, immo etiam*; et voculam, πᾶσα, etiam ad vocabulum βλασφημία referri debere: id quod clarum fit ex *Marc. III, 28.* Parum quoque refert, quomodo ἀφεθήσεται exponatur, vtrum reddatur: *remittetur, an remitti potest, vel remittitur.*

II. His

II. His verbis hanc adiungimus conditionem: *si nimirum velint poenitentiam agere, et quidem secundum hanc, quam vos veram putatis esse religionem, sicut est, h. e. Iudaicam.* Hanc conditionem adiungi posse, ex eo intelligetur, si cogitemus, nullum peccatum sine poenitentia remitti, et Christum ad Iudaeos verba fecisse, qui omnem, remissionis peccatorum suorum, spem in religione sua ponebant, quam suo modo Christus ipse probat.

III. Pergit Christus: ἡ δὲ τὰ πνευματικὰ βλασφημία ἐν ἀφ᾽ εἰσόδῳ τοῖς ἀνθρώποις h. e. *Hocce vero peccatum, quod in praesentia committitis, calumniando spiritum, miracula patrantem, propterea quod vim quidem miraculorum sentitis, diuinamque legationem meam cognoscitis, at, nihilo tamen minus, me repudiantes, veterem et auitam religionem retinere cupitis; hocce, inquam, peccatum non remittetur hominibus.* Blasphemia duplicis generis esse reperitur: in verbis enim altera, altera vero in cogitatione aliisque factis inest. Namque recte cum WOLFIO definitur sic, ut sit dictum vel factum quodcumque, in contemptum vel contumeliam Dei vergens. Prioris generis erat haec calumnia:
Chri-

Christum, adiuuante maligno spiritu, miracula patrasse: posterioris vero erat istud peccatum, quod supra §. X., peccatum in Spiritum sanctum vocauimus. Quis dubitet, vtramque hanc significationem huic vocabulo, βλασφημία, tribui posse?

IV. Nec horum verborum veritas plane intelligi potest, nisi hac adiecta conditione: *Etiam si poenitentiam velint agere, secundum hanc, quam profitemini, religionem h. e. Iudaicam.* Haec conditio, cum in se nihil repugnantiae habet, tum Iudaeorum quoque statui non repugnat, sed maxime consentanea est.

V. Pergit seruator mundi optimus: Καὶ ὅς ἂν εἴπῃ λόγον κατὰ τὴν ὕψὸς τῶ ἀνθρώπου, ἀπεθήσεται αὐτῷ: sensus est: *immo, qui filium hominis viderit, vel quaedam ex rumore vago incertoque de illo acceperit, sed seruili eius forma statim offensus, me repudiarit atque contumeliosis etiam verbis affecerit, is, quisquis demum ille est, quoniam, me ignorans, hoc fecit, impetrabit et huius peccati remissionem.* Quid obstat, quo minus haec verba hunc possint habere significatum? inprimis cum cogitamus ea, quae supra de peccato in filium hominis diximus. §. VI. VII. VIII.

VI. Ite-

VI. Iterum haec est adiungenda conditio: *Si nimirum velit poenitentiam agere, et quidem secundum eam, quam vos veram putatis esse religionem, sicut est, h. e. Iudaicam: cuius possibilitas intelligetur ex iis, quae supra de peccato in filium hominis diximus. §. VIII.*

VII. Quod Christus paullo ante de peccato in Spiritum S. dixerat, hoc, ne quis dubitationi locus relinquatur, omnisque tollatur ambiguitas, repetit his verbis: *ὁς δ' ἂν ἐπιη κατὰ τὸ πνεύματος τὸ ἅγιον, ἐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ ἕτε ἐν τέρῳ τοῦ αἰῶνι, ἕτε ἐν τῷ μέλλοντι.* Haec verba hunc in modum exponimus: *at enim vero, qui contra Spiritum S. maledice et contumeliose dixerit, propterea quod eius quidem miraculorum vim sensit, meaeque legationis auctoritatem diuinam cognouit, sed nihilo tamen minus, me repudians, reluclante animo, in religione auita permanere cupit, is, quisquis est, huius peccati veniam nullo, neque huius, neque futuri seculi tempore, consequetur.* Parum nostra refert, quomodo haec verba intelligantur: *ἕτε ἐν τέρῳ τοῦ αἰῶνι, ἕτε ἐν τῷ μέλλοντι:* quidam enim ad veteris et noui foederis, alii vero rectius ad huius et alterius, post fata, vitae tempora referre solent: sunt enim haec duo ex se connexa.

VIII. Quilibet videbit, denuo repetendum esse conditionem hanc: *Etiamsi poenitentiam velit agere secundum hanc, quam profitemini, religionem Iudaicam.*

Nunc, quoniam ostendimus, interpretationem nostram nihil repugnantiae continere, adeoque possibilem esse, ad demonstrandam eius probabilitatem accedamus, oportet.

§. XVII.

2. probabilitas.

INTERPRETATIONIS probabilitas efficitur tunc, quando ex rebus circumstantibus, diligenter accurateque consideratis, ostenditur, audientes propter idearum, quam vocant, combinationem et confociationem, hanc, nec aliam, potuisse verbis usurpatis tribuere vim et potestatem. Igitur, consideremus

I. primo, Iudaeos eorumque statum, in quo, tempore Christi, versabantur. Hi nempe Iudaei, 1. omnem salutis suae remissionisque peccatorum consequendae spem, in religione Iudaica, collocabant, quam unam, ad salutem, viam putabant esse, nec, praeter eam, aliam aut esse, aut excogitari posse. Hoc tamen eis clarum

clarum manifestumque erat, sine poenitentia nemini licere peccatorum remissionem condonationemque sperare. 2. Iudaeorum quidam in filium hominis peccabant: §. VI, alii vero, qui Christi miracula viderant, eorumque vim senserant, in Spiritum S. §. X. 3. virique, Christum repudiantes, in sua religione spem salutis ponebant, et hi in primis, hac ratione ducti, quod et vera esset, quam profitebantur, religio, et plurimi alii ex Iudaeis, qui vel Iesum plane ignorarent, vel eius seruili forma offensi essent, eum, vt Christum, non amplecterentur vera fide, quos tamen omni salutis spe priuari haud posse, existimabant. Cognita Iudaeorum ratione, restat, vt

II. Christum etiam contemnemur, qui ad Iudaeos istos verba fecit. Hic enim semper 1. peccatorum veniam hominibus sub conditione poenitentiae promittebat, 2. religionem Iudaicam, exceptis erroribus admixtis, tanquam falsam in se et erroneam, non improbabat, multo minus omnes, in ea viuentes, damnabat: 3. se vocabat ipse filium hominis, quatenus serui forma indutus erat, et ab hominibus, tanquam obscurae originis homo, contemnebatur; vim autem, qua miracula efficiebat, Spiritui sancti tribuebat.

4. Iudaeos non nisi sensim paulatimque ad cognitionem sui adducere studebat, atque 5. hos tantum aeterna morte dignos pronuntiabat, qui, postquam diuinam Christi auctoritatem, ex miraculorum doctrinaeque vi, cognouissent, Christum repudiantes, in auita religione acquiescerent. *Luc. XII, 9.* Nunc cogitemus denique

III. eo Christum tempore, haec, quae interpretamur, verba ad Iudaeos fecisse, quo ipse stupendum effecerat miraculum, quod, Iudaeorum quidam, animo repugnante, maligno spiritui tribuerant: *Marc. III, 31.* quis non videbit, rerum omnium statu et conditione sic animo informata, nec Christum loquentem, nec Iudaeos audientes, aliam his verbis sententiam tribuere potuisse, quam quidem nos in proposita interpretatione iisdem subiecimus. Atque haec ea est, quam quaerimus, probabilitas. Restat, ut eiusdem necessitatem ostendamus.

§. XVIII.

3. Necessitas. UT nemini dubium esse possit, veram nos peccati in Spiritum S. formasse notionem, verbisque Christi veram tribuisse sententiam, sequentem in modum ratiocinabimur:

Quod.

Quodcumque peccatum ita comparatum est, 1. vt reuera olim a Iudaeis commissum fuerit; 2. vt blasphemiam Spiritus S. contineat, atque 3. Iudaeis sub eadem conditione, qua posita, reliqua peccata omnia eis remittebantur, haud remitti potuerit, illud necessario est peccatum hoc, de quo Christus apud Matthaeum loquitur: Atqui peccatum illud, quod supra S. X. peccatum in Spiritum S. vocauimus, ita comparatum est: Igitur peccatum istud in Spiritum sanctum, cuius notionem supra exposuimus, idem est illud peccatum, de quo Christus apud Matthaeum loquitur.

Propositionis veritas unicuique, verba Christi diligenter consideranti, statim patebit. Interim non possumus, quin hoc vnum obseruemus: nempe, quando huic, quod in primis reprehendit Christus, peccato attribuitur hoc, vt nunquam remittatur, cum reliquis peccatis omnibus hoc attributum sit, vt remittantur; vtrumque vel simpliciter, vel cum adiunctione et conditione intelligendum esse. Si absolute et simpliciter, falsum esset vtrumque: nam nullum peccatum in se et natura sua, simpliciter et absolute, vel remittitur, vel non remittitur. Si igitur cum adiunctione quadam

intelligas: haec vel eadem erit, vel diuersa, in vtraque enunciatione. Non diuersa esse potest: nam tunc nulla esset oppositio vera. Est itaque eadem. Quare adiungendum erit, vel, si poenitentiam egerint, vel, si poenitentiam agere velint. Istud locum habere nequit: nam repugnant haec: poenitentiam agere, et, remissionem peccatorum non consequi. Restat ergo alterum: si poenitentiam agere velint. Nam hoc, duplici modo, determinari potest: is enim, qui vult poenitentiam agere, vel potest veram poenitentiam agere, vel non potest: igitur peccata ei vel remittuntur, vel non remittuntur.

Iam vero, vt ad assumptionem veniamus, peccatum illud, quod supra §. X. peccatum in Spiritum S. vocauimus, ita comparatum est, quemadmodum dictum est in propositione: nam 1. a Iudaeis olim reuera commissum est §. IX. 2. blasphemiam Spiritus S. continet §. X. XVI. n. 3. 3. Iudaeis remitti non potuit sub ea conditione, qua posita, reliqua peccata omnia eis remittebantur. §. XII.

Ex his igitur sumtis, quilibet, facili negotio, intelliget, peccatum istud in Spiritum sanctum, cuius notionem

nem supra §. X. effinximus, non posse non idem illud peccatum esse, de quo apud Matthaeum loquatur Christus.

§. XIX.

POSTQVAM vidimus, non solum Iudaeos peccatum aliquod commisisse, quod peccatum in Spiritum S. vocari possët, sed Christum etiam hoc ipsum peccatum in eo, quem interpretati sumus, Matthaei loco, redarguisse: age, nunc omittis iis, quae in Iudaeos quidem cadunt, sed ad essentiam et naturam huius peccati non pertinent, quid, in genere, sit peccatum in Spiritum sanctum, paucis ostendamus. Ne vero a recta aberremus via, quaedam tanquam principia praemitemus, ex quibus vera, huius peccati, natura cognosci poterit ac demonstrari. Sunt autem haec extra omnem dubitationem posita: eiusmodi notionem, peccati in Spiritum sanctum, formandam effingendamque nobis esse, quae I. blasphemiam Spiritus S. contineat; II. ex qua possit intelligi, cur hoc peccatum, sub ea conditione, remitti nequeat, qua posita, reliqua peccata omnia hominibus remittuntur: III. ad quam peccatum istud Iudaeorum, *Ut in genere quid sit peccatum in Spiritum S. definitur quae notae quaedam praemittendae sunt.*

quod

quod Christus, in illo Matthaei loco, reprehendit, tanquam species, ad genus suum, referri possit.

§. XX.

*Peccatum
aliquod in
medium af-
fertur, in
quod noxae
istae cadunt.*

ATQVI peccatum, quod committitur tunc, quando agnita vera salutis aeternae via malitiose et blaspheme repudiatur, et ad eandem, repugnante etsi animo, antehac de veritate conuictō, alia plane via contenditur, sine dubio sic comparatum est, vt in illud tria ista, velut insignia peccati in Spiritum sanctum, cadant. Namque I. hoc peccato, nihil fere contumeliosius in Spiritum S. esse cogitarique potest. Qui enim vias diuinas, sciens volensque, migrat, nec sequi vult, is, in Deum in primis peccare censendus est: qui vero Deo se obsequium haud negare putat, sed tamen Spiritum S. sequi recusat, cui, ex pacto diuino, tributum est, vt rectam hominibus ad salutem monstret viam, et aliam potius ipse sibi eligit, hic igitur in primis in Spiritum S. peccat: atque hoc peccatum blasphemiae vim in se continet, ac plerumque in blasphemias prorumpere solet. II. Ex huius peccati notione potest intelligi, cur sub ea conditione remitti nequeat, qua posita, reliqua peccata omnia homi-

hominibus remittuntur. Nam fieri non potest, ut is, qui meliorem veriolemque salutis aeternae viam cognoscit, sed, repugnante animo, eam maledice repudiat, et aliam eligit, in hac ad veram fidem restauretur, quod in aliis hominibus fieri potest, qui veriolem rectiolemque salutis aeternae viam antea tantum ignorant, post hac agnoscunt. III. Denique ad hoc peccatum referri, tanquam ad genus suum, potest istud Iudaeorum peccatum in Spiritum S. id quod vtriusque comparatio quemque docebit.

§. XXI.

IGITUR *peccatum in Spiritum sanctum*, si generatim eius indolem et naturam definitione explicare velis, nihil aliud esse potest, *quam eiusmodi peccatum, quo, finita cognita vera salutis aeternae via, cum huius blasphematione repudiatur, et ad eandem, repugnante animo, alia plane via contenditur*, namque insignia ista, §. XIX, quibus agnoscitur peccatum in Spiritum sanctum, et ab aliis peccatis discernitur, in hoc vnum peccatum cadunt omnia. §. XX. Duo igitur essentiam huius peccati in Spiritum S. constituunt; primum hoc est, ut cognitam veram, ad salutem aeternam, viam deferamus,

E plane

Peccatum in Spiritum S. in genere de-

finitur.

planeque cum eius blasphematione repudiemus, alterum, vt aliam, a priori plane diuersam, salutis aeternae viam, repugnante animo, eligamus. Tolle vnum horum, non habebis amplius peccatum in Spiritum S.

§. XXII.

*Confectaria
quaedam.*

VT hanc peccati in Spiritum S. definitionem in maiori ponamus luce, necesse est, vt quaedam subiiciamus, quorum veritas ex ipsa definitione, facili negotio, intelligi potest.

I. Peccator in Spiritum S. veram salutis aeternae viam cognitam habere debet: parum refert, siue ad cognitionem hanc via ordinaria, siue extraordinaria, h. e. per miracula peruenerit.

II. Non est contemtor et irrisor omnis plane religionis, sed aliquam aliam amplectitur, non ex infirmitate, sed plena malitia, siue honorum et opum, vel voluptatum cupiditate ductus, siue vexationum acerbitate compulsus, hoc faciat.

III. Nihil interest, vtrum veram religionem deserat et ad falsam sese conferat, an in auita sua religione remaneat, quamuis ad melioris veriorisque religionis cognitionem peruenerit.

IV.

IV. Etiam is, qui veram ecclesiam amplectitur, nec eam deserit, huius peccati in Spiritum S. reus tunc euadere potest, si nimirum, animo contra agnitam veritatem obstinato, velit alia, quam Spiritus sanctus monstrauit, via salutem aeternam peccatorumque veniam consequi.

V. Ad essentiam peccati in Spiritum S. non requiritur, vt, eius reus, in veram religionem contumeliosis verbis formaliter et explicite inuehatur, et eius amicos aperto internecino persequatur odio. Solet quidem hoc plerumque fieri: sed non semper.

VI. Dicitur hoc peccatum irremissibile: quod vero non simpliciter, sed respectiue, cum adiuncta conditione intelligendum est. Habet enim hoc peculiare, vt ob eandem causam remitti non possit, ob quam tamen aliis omnium peccatorum suorum venia donari possit.

VII. Etenim hoc peccatum etsi ex parte Dei non est simpliciter irremissibile, fit tamen, culpa hominis, irremissibile, quippe cuius vera poenitentia est impossibilis, *Ebr. VI, 4.* ideo, quod medium, per quod sanari posset, malitiose abiicit et repudiat.

VIII. Igitur nemo, qui veritatem et religionem deseruit repudiauitque, sed ad veram salutis viam, quam cognitam habet, toto pectore redit, cruciari angique debet animo, ac si commisisset peccatum in Spiritum sanctum, quod nequeat remitti, et propter quod in aeternum sine spe ipsi pereundum sit: id quod tamen nonnullis hominibus vsu venire solet.

§. XXIII.

*Explicatio
duorum loco-
rum difficulti-
um, quae oc-
currunt,
Hebr. VI, 4.
5. 6. et X, 26.*

NUNC, quoniam ipsam peccati in Spiritum S. naturam exposuimus, facile erit, veram verborum illorum interpretationem inuenire, quae in epistola ad *Hebraeos, VI, 4. 5. 6. et X, 26.* occurrunt, atque interpretibus multum negotii fecerunt. In priori quidem loco haec inueniuntur verba: Ἀδύνατον γὰρ τὸς ἅπασι φωτισθέντας, ἡγασμένους τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπαγγελίας, καὶ μετόχους γεννηθέντας πνεύματος ἁγίου, καὶ καλῶν ἡγασμένους Θεοῦ ἔξημα, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος, καὶ παραπεσόντας, πάλιν ἀνακαίνισεν εἰς μετάνοιαν, ἀνασταυρῶντας ἑαυτοὺς τὸν ὕδιν τῷ Θεῷ καὶ παραδειγματίζοντας. In altero vero loco haec: Ἐκείσθαι γὰρ ἀμαρτανόντων ἡμῶν μετὰ τὸ λαβεῖν τὴν ἐπίγνωσιν τῆς ἀληθείας, ἢ ἔτι περὶ ἀμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία. Equidem existimo, auctorem huius epistolae his in verbis loqui
de

de peccato in Spiritum S. in qua quidem re plerisque interpretes mecum consentientes habeo. Ex ea igitur huius peccati notione, quam informatam animo et insignitam habeo, quilibet facili negotio intelliget, non aliam, nisi hanc, verbis istis sententiam subiiciendam esse: *Omnino fieri non potest, ut ii, qui semel illuminati fuerint, et gustarint donum coeleste, et participes facti sint Spiritus S. quique bonum gustarint Dei verbum, virtutesque futurae aeternitatis, et nibilo tamen minus a vera religione Christiana defecerint, et ad auita Iudaeorum sacra redierint, iterum in hac pristina religione renouentur ad poenitentiam veram ita, quemadmodum hoc antea factum erat, fierique potuerat: nam quousque hoc faciunt, vt, meliora edocti, in religione tamen Iudaica salutis aeternae spem quaerant, tamdiu in eadem, scientes volentesque, versantur culpa, qua illi, qui filium Dei crucifixerunt, eumque publicae ignominiae fecerunt exemplam. Eadem ratione alter iste locus, Hebr. X, 26. mihi videtur exponendus esse: nempe sic: Quando nos, postquam veritatem religionis Christianae certo cognitam perspectamque habemus, nibilo tamen minus, scientes volentesque peccamus, deserendo eam, et ad auita*

XXXVIII DE PECCATO

*Iudaeorum sacra redeundo, non est putandum, vllum
amplius in his sacris reperiri sacrificium, quo huius
peccati culpa et macula possit abluī.*

Pauca, sine dubio, sufficient, ad probabilitatem interpretationis nostrae veritatemque demonstrandam. Igitur primum omnium obseruemus, Hebraeos, qui veritatem religionis Christianae certo cognouerant, eamque summa mentis fiducia fuerant amplexi, saepius calamitatum vexationumque, quae ipsis propter Christum sustinendae erant, crudelitate et vehementia territos ac compulsos, ad auitam religionem, Christiana relicta, sese iterum conuertisse, sperantes fore, vt in ea quoque sic, quemadmodum in Christiana, peccatorum veniam aeternamque salutem consequantur, si nimirum poenitentiam agerent, et sacrificiis vterentur. Hoc quid aliud est, quam in Spiritum sanctum peccare? Hos igitur auctor epistolae grauitet admonet, ne, vana et irrita spe delusi, hoc faciant, dicens: non posse huiusmodi transfugas ad veram, in religione Iudaica, reduci poenitentiam, nec eis sacrificia quicquam amplius prodesse: qua quidem admonitione nihil grauius ad Hebraeos, a defectione repellendos arcendosque, dici, nihil-

nihilque validius excogitari poterat. Quam ob rem omnia, quae in utroque sermone, cuius vim exposuimus, continentur, ad tria, tanquam ad capita, referrī possunt.

I. Videmus enim, primo, peccatores in Spiritum S. describi: duo autem hanc constituunt notionem. Debent enim huiusmodi peccatores verae religionis cognitione imbuti esse; quare dicuntur: *Οἱ ἀπαξ φωτισθέντες, γευσάμενοι τε τῆς δωρεᾶς τῆς ἐπιφανείας, καὶ μέτοχοι γενηθέντες Πνεύματος ἁγίου, καὶ καλῶν γευσάμενοι Θεοῦ ἔργων, δυνάμεις τε μέλλοντος αἰῶνος;* et in altero loco: *Οἱ λαβόντες τὴν ἐπιγνώσιν τῆς ἀληθείας.* Porro, necesse est, ut malitiose repudiata et contempta religione vera, ad aliam, eamque falsam sese conferant; igitur dicuntur: *Οἱ παραπεσόντες;* et in altero loco: *Οἱ ἐκασίως ἀμαρτανόοντες;* utrumque non denotat h. l. ex statu gratiae excidere, sed a vera, certoque cognita, religione Christiana ad Iudaicam, repugnante animo, deficere.

II. secundo, huiusmodi peccatoribus hoc attribuitur, ut omnino non possint ad veram renouari poenitentiam: *ἀδύνατον γὰρ -- πάλιν ἀνακαιρῆσαι εἰς μετάνοιαν:* nec sacrificium inuenire, quo peccata sua expiantur:

ἀκα

ἂν ἔτι περὶ ἁμαρτιῶν ἀπολείπεται θυσία, h. e. non possunt vnquam remissionem condonationemque peccatorum suorum consequi. Vtrumque vero non simpliciter intelligendum est: sed haec conditio adiungi debet: *in religione Iudaica.*

III. Denique ratio adiecta est, ob quam his transfugis nulla remissio peccatorum obtingere possit. Sunt enim, quousque in religione Iudaica perseverant, ἐκαστὸς ἁμαρτάνωντες, et ἀνασταυρώσιντες ἑαυτοῖς τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ καὶ παραδειγματίζοντες: h. e. quamdiu in hac defectione Christique reiectione pergunt, tamdiu voluntario hoc peccato fidem, sine qua omnis poenitentia omneque sacrificium nihil prodest, non solum impediunt, sed impossibilem plane reddunt. Quid igitur mirum, his transfugis, nisi reuertantur ad religionem christianam, non remitti condonarique, nec hanc defectionem, nec alia peccata, quamuis eos serio eorum poeniteat?

§. XXIV.

Quaedam virorum eruditorum sententiae de peccato in Spiritum S. diiudicantur.

TANDEM, ea, quam nos proposuimus, peccati in Spiritum S. notione satis, vt opinor, approbata, restat, vt ad examinandas diiudicandasque aliorum, de hoc peccato, sententias accedamus. Sed locum hunc, per-

perdifficilem omnino periculique plenum, paucis tantum attingisse iuuabit. In eo quidem plerique scio, eruditissimi homines conueniunt, quod peccatum istud tale sit, quale Iudaei olim commiserint, quod in primis in Spiritus S. officium sit contumeliosum, quodque remitti nequeat. Sed quando eo ventum est, vt dicendum sit, quodnam peccatum tale sit, vt remitti nequeat, tunc sententias plane discrepantes videas. Quidam enim finalem *amissionem* ita cum hoc coniungunt peccato, vt absque ea nullum, saltem non consummatum, sit peccatum in Spiritum sanctum. Cuius quidem sententiae patrocinium nostra aetate Celeb. CARPOVIVS suscepit in Theolog. Revel. Dogm. eamque deinde a nonnullorum aduersariorum reprehensionibus vindicauit, in Illustratione apologetica peccati in Spiritum S. atque Incredulitatis finalis. Hic enim Peccatum in Spiritum S. ita definit, vt sit veritatis coelestis, ad salutem hominum applicandae, oppugnatione 1. malitiosa, i. e. contra meliorem cognitionem et conuictionem ex proposito voluntatis plane libero facta, 2. speciosa, h. e. facta sub variis praetextibus, 3. finalis, h. e. ad finem vitae vsque continuata. Putat igitur vir doctissimus,

F

mus,

mus, perfeuerantiam finalem huius peccati notionem et essentiam ingredi, adeo, vt, si desit haec perfeuerantia finalis, sit tantum peccatum in Spiritum sanctum inchoatum, non consummatum: cum hoc porro peccato in Spiritum S. semper coniunctam esse *ἀντιστοιχίαν*, eamque finalem, si peccatum in Spiritum S. consummatum sit: denique addit, Christum non satisfacisse pro *ἀντιστοιχίαν* finali: ex quibus sumtis non potest non hoc effici, vt peccatum in Spiritum S. consummatum, quod semper cum *ἀντιστοιχίαν* finali coniunctum sit, recte dicatur irremissibile.

Alii vero existimant, peccatum hoc committi ab hominibus, qui extraordinariis gratiae Spiritus S. operationibus repugnent, h. e. qui veritatibus coelestibus probe intellectis, et per euentissima miracula demonstratis, non assentiantur, sed potius contra conscientiam illas negent, impugnent, blasphement, neque adeo illarum virtute et efficacia se conuerti patiantur.

Atque hanc notionem nuper Cel. SCHVBERTVS non solum clarius distinctiusque proposuit, sed multo etiam probabiliorem effecit in Disp. de peccato in Spiritum

tum

tum S. irremissibilitate. Dicit enim peccatum in Spiritum S. esse maliciosam resistantiam, quae extraordinariis gratiae mediis a peccatoribus in conuersione sua opponatur. In hac sola definitione putat contineri rationem causamque, ob quam hoc peccatum irremissibile dici debeat: nam qui extraordinariis gratiae conuertentis mediis repugnaret, is, nullo deinde modo, ad poenitentiam fidemque posset perducī. Sed hanc mihi veniam dabunt viri, magna nominis et eruditionis fama celebres, ut ingenue fatear, utramque mihi sententiam multis et insuperabilibus plane videri difficultatibus premi.

Namque, primo, in Schubertiana sententia hoc nondum comprobatum est, nec satis, ut mea fert opinio, comprobari poterit: hominem, qui semel extraordinariis miraculique plenis gratiae conuertentis mediis restiterit, deinde nulla plane re eo perducī posse, ut veram agat poenitentiam, Christumque vera fide complectatur. Haec enim est mentis humanae indoles et natura, ut res sensu hodie percepta, non hanc efficiat animi mutationem, quam optamus, quamque res eadem saepius deinde cogitatione repetita, alio forsan tempore potest efficere. Item, hoc etiam experientia compro-

batum est, rerum maximarum cogitationem saepius in animum, vehementibus cupiditatibus concitatum, non tantam habere vim, quantam, alio fortassis tempore, res minoris momenti, tranquillata mente, habent. Denique, in vniuersum dici non potest, miracula et extraordinarias quascunque hominum conuertendorum vias, maiorem vim ad animos commouendos habere, quam verbum Dei, litteris consignatum. 2. *Petr. I, 19.*

Quibus positis, cognoscitur, falsum esse, quod sumitur: nempe, hominem, qui semel extraordinariis, miraculique plenis, gratiae conuertentis mediis restiterit, deinde nulla plane re eo perduci posse, ut veram agat poenitentiam, Christumque vera fide complectatur. Videmus igitur, ex Schubertiana definitione minime reddi posse rationem, ob quam peccatum in Spiritum S. irremissibile dicendum sit.

Deinde in ea, quam CARPOVIVS, V. C. probauit et exornauit, huius peccati definitione, nonnulla reperiuntur, quae adhuc in disceptionem vocari possunt. Namque, primo, in ea video quidem aliquam causam atque rationem, ob quam interpretes ad peccati in Spiritum S. essentiam referant perseverantiam et *amissionem* finalem, nempe,

nempe, vt irremissibile dici possit: sed nullam plane causam video, ob quam Christus in isto Matthaei loco eam peccati in Spiritum S. notionem sibi formarit, ad cuius essentiam perseverantia et *ἀπιστία* finalis necessario referri debeat. Incommoda enim plane videtur haec oratio: Omnia peccata, quatenus eorum notiones ita formamus, vt perseverantiam et *ἀπιστίαν* finalem non in se comprehendant, vobis remittentur, si nimirum poenitentiam egeritis, sed peccatum in Spiritum S., quatenus notionem eius ita animo informatam habeo, vt perseverantiam et *ἀπιστίαν* finalem statim in se comprehendat, nunquam remittetur. Quid enim huiusmodi sibi vellet oratio? Nonne eodem modo, eodemque iure poruisset dici: Omnia peccata, etiam peccatum in Spiritum S., vobis remittentur, quatenus eorum notiones ita formamus, vt perseverantium et *ἀπιστίαν* finalem haud in se complectantur, sed homicidium, et adulterium, quatenus haec peccata tanquam consummata considerantur, quorum notiones perseverantiam et *ἀπιστίαν* finalem in se necessario contineant, vobis nunquam remittentur?

Deinde, non potest dici, Christum pro *ἀπιστία* finali haud satisfacisse Deo, et quidem ex ea ratione, quia Deus duplici

XLVI DE PECCATO IN SPIRITVM S.

duplici poena, peccato aequali, non puniret peccatum. Sed, vt appareat, hanc rationem non eam, quae ipsi tribuitur, vim potestatemque habere posse, hunc in modum ratiocinor: Deus, vel punit peccata, cum *omnis* finali coniuncta, poena peccatis aequali, post mortem hominibus perferenda, vel non punit ea: falsum est hoc, Deum non punire eiusmodi peccata; nam cuique homini poena irrogabitur secundum opera sua: *Rom. II, 6.* Igitur Deus punit ista peccata. Si hoc est, vel Christus Deo pro eiusmodi peccatis satisfecit, vel non satisfecit. Si non satisfecit, erunt homines, pro quibus Christus plane non satisfecit, quorumque redemptor dici non potest: id quod religionis christianae principiis repugnat: sin vero satisfecerit, necesse est, vt huiusmodi peccata duplici poena, peccatis aequali, puniantur a Deo, cum in Christo, tum in homine peccatore. Igitur ratio ista; Deum duplici poena, peccato aequali, peccatum non punire: falsa mihi videtur esse: quam ob rem eius vi, quam nullam esse sentio, adduci non possum, vt credam, Christum pro *omnis* finali haud satis Deo fecisse. Sunt adhuc alia, quae contra sententiam hanc in medium afferri possent, quae tamen in praesentia lubenter praetermitto.



VI 29

= [Dissertationes theol.


Vol. 73.]

ULB Halle


004 917 596



3



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
PECCATO IN SPIRITVM S.



10
QVAM
PRAESIDE
D. CAROLO GOTTLOB
HOFMANNO

S. S. THEOLOGIAE PROF. PVBL. PRIMARIO
CONSISTORII REGIO-ELECTORALIS ASSESSORE
FACVLT. THEOLOG. SENIORE PAST. AD AED.
S. MARIAE CIRC. ELECTOR. SAXON.
GENERAL. SVPERINT.

AD CONSEQVENDVM SVMMVM HONORIS
IN THEOLOGIA GRADVM


D. XX. SEPT. ANNO PACIS RELIG. SAECVLARI MDCCLV

IN AVDITORIO MAIORI
ACADEMIAE VITEMBERGENSIS

PVBLICE DEFENDET
AVCTOR

IOANNES GOTTLOB WERNER

ECCLESIAE IVTREBOCENSIS PASTOR PRIMARIVS
EIVSDEMQUE DIOECESEOS SVPERINTENDENS



VITEMBERGAE
EX OFFICINA SCHLOMACHIANA.

